

Pennalismusverbot Rostock 1639 und 1641
Rector et senatus universitatis Rostochiensis civibus suis S.
Rostochii,
Typis Nicolai Killii, Acad. Typogr.
Anno MDVXLI
Druck 8 Seiten
1641 August 29
Universitätsarchiv Rosotck 1.02.0 R I A 12, fol. 49-52
Wiederholung des Verbots von 1639 Mai 19.
Transkription Kersten Krüger

Seite 2 Fol 49 v

Julianum Apostatam singulari mandato praecipisse legitur, ne Christiani scholas, in quibus pietas et morum honestas inculcarentur, aperiant. Hodie Juliano haut dissimiles sunt, qui universitates et academias dissolutiori vita ita reddunt parentibus ac tutoribus exosas, ut quo tandem filios suos mittant jure ambigant. Vident enim saepenumero liberos, quos tantis sumptibus in academijs aluerunt, nequiores et nonnumquam indoctiores domum redire. Ut ergo universitas nostra publice testaretur sibi nullo modo probari ejusmodi vitam impiam, hactenus tot affixis programmatibus cives suos ad pietatem et morum elegantiam, ac bonarum literarum studium sedulo adhortata fuit. Imprimis a Diabolico illo vitio, Schoristicam quod vocant, cives academicos, ad ditis dignis poenis dehortata est. Et ne quis ignorantiam aliquam praetexat placuit Reverendo Concilio illud programma, quod Dominica Rogationum anno 1639 affixum fuit repetere. Omnino enim decrevit illud executioni dare, et in deliquentem exemplum aliquod, aliis quod ex usu sit statuere. Caveat ergo sibi quis quis contra illud deliquerit. Haec optimo, imo paterno animo dicuntur. Si vero hic vel alius id susque deque habuerit et in ipso facto programme hoc prohibito deprehensus fuerit, in se animadversum iri poenis programme constitutis sentiet. Sapiens est prometheus. At sero sapit Epimetheus. Verba allegati programmatibus haec sunt, quae pagina sequente leguntur.

Seite 3 Fol. 50 r

Cum jam per aliquot annos intellectum, et experientia deprehensum sit, non sine summo pietatem, honestatem, et recta studia amantium virorum dolore, quanta labes, imo quanta pestis, cum in alias Germaniae academias, tum in hanc nostram quoque, a primo et summo generis humani, imo omnis pietatis et honestatis, ac studiosae juventutis hoste, per socios pravitatis invecta sit: jure putavimus ad curam et officium nostrum pertinere, ut nascenti malo, cum lenia remedia hactenus non suffecerint, jam adultori efficaciora quaerere, et inventa applicare possemus. Proinde anno 1637 14. Maji contra schoristicam et actiones, ut vocant, pennalisticas affixum Programma, in omnibus suis sententiis et clausulis omnino repetitum volumus, et ne quendam ignorantia excuset, huic programme illud inserendum duximus. Verba ejusdem ita habent.

Arbitrati fuimus fore, ut tandem schoristicae et pennalisticae actiones, divexationes, depilationes ex schola nostra facerent; quum non saltem horum autoribus, qui jurati nobis obedientiam promiserunt, saepe, serioque ut ab iis abstinerent, imperaverimus, et poenis, quas illorum facta merentur, affecerimus: sed et Deus ita coelitus in nos detonet, bellicis depraedationibus, direptionibus, devastationibus, ut quisque cui vel mica pietatis reliqua est, sibi ipsi modestiam, et ab

his necquam factis abstinentiam imperare debeat: ne, dum ipse alios divexat, et in eorum crumenas involat, sibi, suis, pa-

Seite 4

triae, consimilem poenam attrahat: arbitrati, ut diximus, fueramus, haec et hujus generis alia, adeo validos esse debere, ad pœnalisticas actiones, et deprædationes expugnandos arietes, ut super iis tollendis nobis amplius non esse laborandum. Verum ea est quorundam protervia, et improbitas, ut contempto magistratu, et quo ipsi sunt obstricti juramento, spretis comminationibus et poenis, susque deque habita divini numinis ira, his se affines faciant facinoribus, dedecore plenis. His itaque denuo significamus.

Si quem porro schoristicam exercere deprehendemus PRIMO, ejus, eorumve nomina perscribemus ad magistratus illorum locorum, in quibus nati sunt, ad erundem parentes, tutores, agnatos, patronos, et monebimus, ut haec carcinomata domum ad se avocent, ne sana corporis nostri membra inficiant. SECUNDO, si illos, ad quos scribimus, moras in avocando nectere intellexerimus, eos, more in academiis usitato, exesse jubebimus. TERTIO, si professor, aliudve academiae membrum quemquam in suo convictu esse intellexerit, qui se pœnalisticae et schoristicae nequitiae socium fecit, eum aedibus suis ejiciet, in convictu porro non patietur, praesidis in disputationibus qua publicis, qua privatis, officia denegabit. QUARTO, nulla sibi hac in Universitate nostra, a quacunque facultate, vitae et eruditionis testimonia, honores, honorumve titulos impetraturum sciat.

Haec sunt, quae hac vice significanda esse duximus. Bonis, qui Deum et magistratum suum reverentur, qui-

Seite 5

bus juramentis religio sancta est, qui ad studia virtutis et literarum serio ac sedulo incumbunt, haec non sunt dicta. Improbis haec ita proposita volumus, ut vel redeant in vitam, vel quae comminati sumus, exspectent. In bivio constitutis, ne se in consortium pravorum detrahi sinant, nec iisdem se cum illis poenis, iraeque divinae involvant. Omnes parterna nostra monita ad animum admissuros speramus: secus qui fecerit, Deum et magistratum vindicem habebit.

Hactenus prioris, divexationibus Schoristicis et actionibus Pœnalisticis oppositi programmatis verba fuerunt, additis poenis academicis illis omnibus denunciatis, qui actiones eas prohibitas quocunque modo exercere deprehenderentur. Verum ut ingeniosa est nequitia, ita facile rimam invenit, qua elabi se posse, fraudem legi facere, et impunitatem sibi promittere speraret, eo, quod schoristicae et pœnalisticae actiones, illo in programmatae merito damnatae essent, societatum vero et conventuum nationalium, qui actionum harum anima et spiritus sunt, nulla facta esset mentio.* Posse igitur hoc pacto actiones illas illaudatas quasi fomento conservari. Cum ergo manifestior sit, harum societatum et nationum indoles, testatiorque ex actis quotidianis, quam ut negari possit, ne quid amplius ad excusationem praetendant, hoc statuo nostro juramenti studiosorum formulae conjungendo ordinamus, et civibus nostris, academiae jurisdictioni subjectis denuntiamus.

PRIMO, ut quicunque nomina sua, quocunque modo

Seite 6

professi sunt apud seniores et fiscales (ut vocantur) quarumcunque societatum et nationum fuerint, iis nuntium remittant, nihil deinceps commercii socialis cum iis habeant, neque ullo modo socialibus conventiculis intersint.

SECUNDO. Fiscales et seniores illos monemus, ut non solum titulis abstineant, factionem resipientibus, sed rem quoque ipsam et munus vitiosum deponant, neminem societati et nationi, ut nomen apud se profiteatur, invitent, vel per emissarios invitari curent, multo minus recipiant oblatum, et in catalogum referant: a nemine pecuniam quoconque modo aut nomine postulent: neminem ad servitia quaecunque sibi praestanda, vel ad convocandos socios, vel ad philothecas circumferendas, vel ad citationes exequiales, vel ad quaecunque alia cogant, nemini certum tempus, quo illum pennalem, ut nominant, esse oporteat definiant, nec a pennialismo absolvant, qui jam ante consuetis academiae ritibus in numerum studiosorum receptus est, neminem comptando et contumeliose tractando laedant, nec calcaribus pugnant, colaphos infringant, crines ignominiose tondant, cerevisiam faeculentam saeculentam sebo aut ligulis aliisque sordibus repletam, bibere cogant, et ab aliis quae recensere non tam supervacaneum, quam inhonestum arbitramus, abstineant: cum in homines liberos et eorum bona nihil juris habeant, neque ullo juris vel auctoritatis praetextu quenquam sibi ullo modo subjectum punire, mulctare, aut castigare possint, nisi per fla-

Seite 7

gitiosam et inexcusabilem inobedentiam, petulantiam studioso indignam, et juramenti academiae praestiti neglectum, contemptumque, qui perjurii nomen meretur. Igitur si quis adversus haec edicta nostra schoristicae ert actionibus pennialisticis, ut et conventuum nationalium actionibus illaudatis, depilationes et scurilitates pennialisticas, promoventibus opposita fecerit, atque hoc pacto conscientiam suam laedere, eique plagam gravissimam et insanabilem incutere non dubitaverit, sciat fore ut magistratus legitimi oculus vigilet, convenienti severitate suum officium exequatur et academicis poenis delinquentes afficiat. Et ne hic latibulum quaerant schoristae, pennialium vexatores, nationalium conventiculorum socii, hactenus usurpatum, ut exclusi ab hac academia, in aliam sibi petere accessum arbitrentur, placuit jam plerisque Germaniae academiis communi hoc malo, commune addere remedium. Qui itaque schoricam exercere, et pennialisticas actiones instituere deprehensus et convictus fuerit, tum et actiones illas antea recensitas in conventutibus nationalibus, vel ipse exercuerit, vel promoverit, illum non solum a loco delicti, sed et simul a caeteris academiis sociis, quibus relegati actiones significabuntur, relegatum iri. Neque dubitamus quin illustrissimus, reverendissimus celsissimusque princeps ac dominus DN Adolphus Friedericus, Dux Megapolitanus, Administrator Episcopae Sverinensis, Princeps vetustae gentis Henetae, terrarum Rostochii et Stargardiae Dynasta, academia[e] nostrae Cancellarius

Seite 8

Magnificentissimus. Et Amplissimus ac Prudentissimus hujus urbis Senatus, Academiae nostrae Patroni, facturi sint, quod Serenissimum Dn Electorem Brandenburgicum, in sua academia Francofurtana ad Viadrum, et Illustr[issimum] Celsissimumque Principem ac Dominum, Dn Georgium, Hassiae Landgravium, in Academia Marprugensi jam fecisse, publice propositis edictis ipsi contestati sunt. Quodque alios magistratus superiores facturos confidimus. Quin arbitramur, si quaedam carcinomata, Epicuri de grege porci, fruges consumere nati, nomen studiosorum mentientes, hanc optimam academiarum plerarumque in Germania

intentionem sancte servandam, occultis suis machinis impedire, et aliqua ratione diabolica arte infringere tentarent, tum Deum justissimum, vivorum et mortuorum futurem judicem, laesam sui nominis majestatem, quarto Decalogi expressam, minime inultam et impunitam dimissurum, sed reos secularibus in hac vita poenis, mortuos vero suppliciis aeternis mactaturum. Nemini haec imprecamur, modo ne ipse in haec se furiose praecipitet.

Publicatum sub sigillo Universitatis, Dominica Rogationum [Mai 19] Anno 1639. Et nunc denuo ne quis ignorantiam praetendat repetitum, et publice sub sigillo Academiae propositum 29. Aug. Anno 1641.